



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

Tit. 18. De servis non ordinandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

quia videretur filius veluti jure hæreditario succedere patri, quod in beneficijs Ecclesiasticis enixè est prohibitum, *c. Prasentium & Extramissa 7. h. t. c. 1. & alijs inf. de præbendis*, Trident. Sess. 25. cap. 7. *de reformat.*, ubi plenius vide prout & apud Garz. *de benef. p. 7 c. 3. n. 66. & seqq.* Idque procedit etiam in filijs eorum, qui in minoribus sunt constituti: potest tamen, & quidem solus, in hoc Pontifex dispensare. Dixi, immediate; quia mediatè potest filius Presbyteri succedere patri, quia tunc ob interjectam personam non potest videri ei jure hæreditario succedere: uti nec quando pater tantum ministrasset in aliqua Ecclesia sine titulo quo casu etiam non prohibetur filius ad eandem Ecclesiam immediate promoveri, *c. Constitutus h. t.* Quòd si Episcopus scienter contulerit sacerdotis filio paternam Ecclesiam, exinde eum removere non poterit; prout nec si ignoranter, donec in alia Ecclesia ei provideat unde honestè valeat sustentari, *c. Veniens 5. h. t.* Cæterum si Episcopus filium Presbyteri ordinaverit, non debet beneficij Ecclesiastici provisione carere, *c. proposuit 6. h. t.*

7. Quod si illegitimè natus sine dispensatione promoveatur ad Ordines, characterem quidem recipiet, non tamen Ordinis sic suscepti executionem. Similiter & à beneficijs, ad quæ indispensatus fuerit promotus, amovetur *d. c. Constitutus*: nisi cum eo postea dispenseetur à summo Pontifice, *c. 7. 4. 5 & ibi Glossa h. t.*

## TITULUS XVIII.

### De servis non ordinandis.

1. 2. Cur servi ordinari prohibeantur: & pœna ordinatorum.
3. Pœna Episcopi servum ordinantis.

**P**ost impedimentum originis, sequitur secundo loco de servitute, quæ est impedimentum conditionis. Servi enim absque consensu dominorum suorum, nisi prius ab illis fuerint manumissi & directam libertatem consecuti, ordinari prohibentur, *cap. 1. & 5. h. t. tota penè Distinct. 54.* Hoc ideo, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi, ut

dicitur in *can. Quicumque 1. ad Distinct. 54.* & quia immunis esse debet ab alijs qui divinæ militiæ est aggregandus, ut à castis Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatibus vinculis abstrahatur. Cæterum de servis ordinandis, videatur insignis distinctio Glossæ *ad c. 2. h. t.*

2. Quòd si servus de facto, qualibet c. Ili litare aut fraude, ad sacros Ordines irrepserit, deponitur, & domino restituitur, *c. 7. h. t.* & postquam de gradu ceciderit, ejus conditionis sit, ejus erat ante gradum, *can. Nulli 2. d. dist. 54.* Pari ratione removetur ab Ordinibus originarij (id est nati ex adscriptiis, nempe ijs, qui colendo agro perpetuè addicti sunt) *can. Generalis 12. & can. admittuntur 21. d. dist. 54.* Item Curiales, id est, qui senatui adscripti sunt aut simili conditioni obnoxij, sine dominorum voluntate, *can. Præcipimus 10. distinct. 34.* Sed nec libertati sine consensu patronorum ordinari possunt, *d. can. Quicumque & c. fin. Dist. 54.* Natus verò ex parte servo & libera matre, cum talis non sit servus sed ingenuus, *Institut. De Ingenuis*, ordinari non prohibetur, *c. fin. h. t.*

3. Episcopus in scio domino servum scienter ordinans tenetur eum domino, cum duplici satisfactione, compensare seu reddere: si verò ne scierit servum esse, tum qui testimonium perhibuerit, aut supplicarint eum ordinari, simili conditioni tenentur obnoxij, *can. Si servus 19. d. distinct. 54.* Si tamen servus, sciente & non contradicente domino, ordinatus fuerit, hoc ipso liber & ingenuus ac ritè ordinatus intelligitur, *c. Si servus seq. ibid.* Si verò domino ignorante, licebit eidem intra annum & servilem fortunam probare, & servum suum accipere, *ut ibid. habetur.*

## TITULUS XIX.

### De Obligatis ad ratiocinia, ordinandis, vel non.

1. 2. Cur ordinari vetentur obligati rationibus publicis reddendis.
3. Non etiam debitores Reipubl. ex alia causa.
4. Qui excipere possit de hoc impedimento.

Tcr.